



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Praxis Episcopalis

Piasecki, Paweł

Coloniae Agrippinae, 1620

De statutis ab Episcopo faciendis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61608)

ARTICVLVS II.

De Statutis ab Episcopo faciendis.

- E**piscopus potest condere statuta pro sua Diocesi.
 2 Episcopus non potest statuere contra Canones.
 3 Episcopus non potest definire circa dubia fidei.
 4 Statuta Episcopi non debent contrariari immunitati Ecclesiastica.
 5 Consuetudo quandoq; possit tolli per Statutum.
 6 Consuetudo quandoq; præiudicat Canonibus.
 7 Capituli consilium non consensus requiritur in condendis statutis.
 8 Capituli consensus quando requiritur in condendis statutis.
 9 Canonicum Cathedralis non potest iudicare Episcopus, nisi cum assistentia duorum ex Capitulo.
 10 Episcopus abstinere debet à multitudine præceptorum.
 11 Synodatici nomine quid debeat Episcopo.
 12 Charitativum subsidium petere potest Episcopus à suo Clero.
 13 Charitativum subsidium peti potest ab exemptis.
 14 Charitativi subsidij taxa est arbitraria Clero.

Icitum est autem Episcopo in sua Diocesana Synodo condere statuta seu ordinationes aliquas, prout viderit expedire ad retinendum in disciplina Clerum, vel abusus tollendos. c. Catholica. 11. dist. cap. 1. distinct. 3. de consecr. iun. gl. v. non generaliter. cap. 2. iun. gl. de maior. & obed. cap. vt animarum. de constit. in 6.

Statuta tamen quæ condit, non debent esse contraria sacris Canonibus, ipse enim tenetur custodire non violare Canones. cap. cum simus. 9. quæst. 3. alioquin posset puniri. cap. denique. S. fin. dist. 4. Clemens. 1. de etat. & qual. & posset dici periurus. Abb. in cap. ego. n. num. 3. de iureiur. & quicquid statueret contrarium Canonibus, subiaceret nullitati. c. quod super. de maior. & obed. Abb. in cap. fin. num. 9. de consuet. Dec. in Rub. 2. de constit. in fin. vnde non valeret statutum Episcopi disponens ne possit appellari

à sententia. cap. venientes. de iureiur. Bald. in cap. cum omnes. de constit. Anchar. in cap. canonum statut. q. 11. princ. eo. tit. Fed. de Sen. cons. 17.

Neque debent esse contraria ordinationibus Sedis Apostolicæ. cap. omnia. 52. q. 1. c. cum inferior. de maior. & obed. cap. cit. venientes. de iureiur. Clem. ne Romani. de elect.

Neque circa dubia fidei, hæc enim decidere spectat ad sedem Apostolicam. cap. quoties. 24. q. 1. neque de maioribus negocijs, sed de minoribus tantum. vt notat gl. in cap. 1. dist. 18. & alia. gl. communiter recepta. in cit. c. 2. de maior. & obed.

Neque contraria statutis Metropolitanæ, seu Prouincialis Synodi. c. cum inferior. cit. de maior. & obed.

Neque in præiudicium priuilegiorum Cleri. cap. vestra nobis. de locat. præsertim priuilegiorum concernentium fauorem Ecclesiæ, seu bonum publicum, alio-

alioquin enim priuilegijs cōsistentibus fauorem Cleri particularis Clero illo consentiente derogari possēt, consentiēdo enim censerentur renūciare priuilegio suo, quod & facere possunt cum quilibet proprio priuilegio renūciare possit *cap. pro illorum. iun. gl. v. recepisse. de preb. & communiter DD. in c. cum accepissent. de constit.*

4. Neque debet Episcopus facere statuta contraria immunitati Ecclesiasticæ nam neque quoad propriam personam, possit renūciare libertati in fauorem vniuersi cleri inductæ *cap. si diligenti. de for. comp. vt non potest clericum subijcere iurisdictioni Laicali. c. decernimus. de iudic. Host. ib. in sum. n. 4. Th. Gramm. decis. 29. nu. 10.*

Præter Canones tamen possit aliquid Episcopus statuere. *Abb. in cap. cum consuetudinis. num. 5. de consuet. præsertim in casibus qui sequuntur.*

Primo in casibus à iure non determinatis. *cap. illa autem. dist. 12. c. vt inam. dist. 76. c. 1. de locat.*

Secundo si statuatur aliquid antequam Canon promulgetur, teneret enim tale statutum, licet contrariaretur Canonis, nisi expressè reuocetur, dummodo fuerit rationale. *c. 1. de constit. in 6.*

5. Tercio si faceret statutum consuetudini contrarium, nam licet consuetudinis & legis par sit potestas. *dist. 11. per totum. & est arg. l. de quibus ff. de legib.* facilius tamen à consuetudine recedi potest etiam iuramento firmata. *c. in his. iun. gl. dist. cit. cap. 1. de his qua fiunt à me. part. cap. Abb. ib. n. 7. & in c. fin. num. 7. de consuet.* Tanto magis si statutum Episcopi disponat contra consuetudinem sine aliqua rationabili causa inductam, circa solemnitates & ordinem in sua Ecclesia seruandum. *cap. Eleutherius. 91. dist. Archid. ib. vel*

circa ea quæ ipsius iurisdictioni sunt concessi. *Bart. & Bald. in l. omnes populi. ff. de iust. & iur. Innoc. Abb. in cap. vestra. de locat. vel si statuatur in suū tantum præiudicium. cap. cum dilectus. iun. gl. v. constitutum. de consuet. vel si statuatur contra consuetudinem canonibus contrariam, vt si statuatur quod Canonici teneantur ad residentiam consuetudine non obstante. Abb. in cap. ad audientiam. num. 4. de Cler. non. resid. & in c. cum omnes. num. 1. de constit.*

Quarto si suo statuto auget vires iuris communis sine alteratione ipsius, vt si decernat excommunicationem contra non seruantes Canones, vel si apponat poenam vbi non est appositam, vel aggrauet appositam, tunc enim nō derogaret sed detererit Canonis. *cap. prodest. 23. quæst. 5. Abb. in cap. ex frequentibus. nu. 5. de iust. & in cap. innotuit. num. 2. de eo. qui furt. ord.*

6. Quinto in casibus quibus contra canones consuetudo rationabilis fuerit præscripta, tunc enim viribus consuetudinis innixum statutum Episcopi valeret, dummodo fuerit rationale. *Felin. in cap. quod super his. nu. 10. de maior. & obed. ad hoc Anchar. in cap. 1. de constit. & in cap. 1. eod. tit. in 5. Bart. Bald. in l. omnes populi. ff. de iust. & iur.* Vbi videre licet quomodo possint ferri statuta præter ius cōmune per modū interpretationis, extētionis, restrictionis, nobis præmissos casus posuisse sufficere, vt ad præxim vtiliores & non controuersos: hoc solo addito quod consultus est abstinere, in quantum fieri potest, ab immutatione antiquarum legum, & si occurrat graue dubium ad Principem potius pro interpretatione recurrendum, præsertim cum de facili haberi possit. *ad hoc Abb. in cap. 1. num. 14. de constit. Dec. ib. in 2. lect. circ. a fin. Bald.*

in l. qua ex relationibus. C. de leg.

7. Eadem statuta facere debet Episcopus cum consilio Capituli sui. *cap. Episcopus. 24. dist. cap. quanto. de his que fiunt. à præl. Abb. ib. n. 4. Host. in cap. fin. de his que fiunt. à maior. part. cap. & consuetudo si qua esset in contrarium reputaretur irrationabilis, nec tenenda. Host. cit. in sum. de his que fiunt. à præl. num. 2. quia nimirum Capitulum posset allegare causas ex quibus moneretur Episcopus ad sequendum meliores rationes pro expeditione rei gerendæ. Ioan. And. in Reg. nullus ex cõsilio. de Reg. iur. in 6. Abb. Dec. in cap. cum. omnes. de consit. Aemil. Verat. decis. 305. p. 1. Rot. diuers. decis. 615 p. 1. Non tenetur tamen Episcopus sequi hoc consiliũ Capituli, cum non consensus sed consiliũ ipsius requiratur. c. cũ olim. iun. gl. v. discordet. de arbitr. Abb. in cap. at si Clerici. §. de adulterijs. num. 17. de iudic. & in cap. quanto. ci. num. 5. & in cap. 1. num. 3. de Capell. monach. Archid. in cap. 1. num. 13. de consit. in 6. Felin. in cap. quod super his. de maior. & obed. communemque hanc esse opinionem testatur Henr. Bott. in tract. de Synod. p. 3. num. 137. limit. 2. super quo etiam responsam à Sac. Congreg. Conc. datum Patriarchæ Vener. refert Quarant. in sua sum. v. Synodus Dioces. his verbis.*

Illustrissime & Reuerendiss. Domine uti Frater.

Sacra Cong. Illustriss. Patrum qui Trid. Conc. interpretando à S. D. N. præfecti sunt per libellum Ampl. tue nomine porrectum consulta respondit, eandem Amplit. tuam in Synodo Diocesana facere posse constitutiones absq; consensu & approbatione Cleri, debere tamen

requirere consiliũ capituli, licet illud non teneatur sequi, nisi in casibus à iure expressis, non obstante quod ex forma Rom. Pontificalis in celebranda Diocesana & prouinciali Synodo expressè habeatur, vt constitutiones in Synodo publicanda à Patribus per verbum placet confirmantur, cui Congregationis sententia Amplit. tua inherens in suam Synodum nauiter peragendam incumbat & bene valeat in Domino, quem vt illi in huiusmodi Pastoralibus ac Salutari- bus munijs sua gratia semper adsit, ex animo rogamus. Roma. die 27. April. 1592.

Hier. Card. Matthæius.

Et cum excipiat casus à iure expressos, videamus qui sint isti. Et breuiter in primis de iure requiritur non tantum consiliũ sed etiam consensus Capituli in illis omnibus in quibus vertitur ipsius interesse particulare. *cap. vlt. de his que fiunt à præl. Innoc. in cap. vestra. de locat. Abb. ib. num. 6. & in cap. que in Ecclesiarum. num. 7. de consuet. vnde si collatio beneficiorum pertineat communiter tam ad Capitulum quam ad Episcopum, non poterit Episcopus disponere de talibus beneficijs absque Capituli consensu. cap. ea noscitur. de his que fiunt à præl. & in rebus in quibus vertitur interesse totius Cleri, non potest statnere absq; Cleri cõsentio. Innoc. in cap. vestra. de lo. Abb. in cap. non minus. num. 5. de immun. Eccl. ad quod facit quod Episcopus neque alius potest quem priuare dominio rei suæ, nisi supremus Princeps, & nisi ex iusta causa. vt not. Innoc. Abb. Dec. in cit. cap. que in Ecclesiarum. de consi.*

Item in casu quo diminueretur auctoritas Ecclesiæ, tunc enim nihil valeret

Q 2 statu-

statutum etiam si fieret de consensu Capituli. *cap. dilecti. de maior. & obed.*

Similiter si ageretur de alienatione bonorum Ecclesie. *cap. sine exceptione. 12. quest. 2. c. 1. de his que sunt à prel.* vel si ageretur de obligatione Ecclesie. *cap. quod quibusdam. de fideius.* unde etiam non potest donare ius quod habet in aliqua Ecclesia inferiori. *Abb. in c. Pastoralis. num. donat.*

Item si ageretur de præiudicio quoad subiectionem vel limitationem consensuum Capituli. *cap. fin. de maior. & obed.*

Ad extremum in casuum criminalium ventilatione. *15. quest. 7. per totum.* Et maximè in iudicanda persona aliqua ex collegio Capituli siue Cathedralis siue Collegiate Ecclesie, nam sine assententia & voto duorum ex Capitulo deputatorum, non potest iudicare personam Capitularem, *ex noua ordinatio. Conc. Trid. cap. 6. sess. 25. de ref.* quod videtur indultum Capitularibus in recompensam priuilegiarum & exemptionum antiquarum, quibus idem Conc. in multis derogauit.

Debet autem Capitulum hos duos qui assistant Episcopo in iudicijs, eligere initio cuiuslibet anni, & si non eligerent, posset Episcopus iudicare solus, ut responsum fuit à S. Cong. Conc. Episcopo Gerundinen. *his verbis.*

Congr. Conc. censuit debuisse Canonicos & debere in principio anni eligere illos duos: si id non fecerint, Episcopum posse procedere, & ita referendū S. S. Cong. dicit rescribendum Episcopo, prout Cong. censuit. hoc addito, ut antea Capitulum moneat si à principio anni non eligant, se solum eam iurisdictionem exerciturū non admissa electione quam postea fecerint.

Illam autem specialiter aduertenda

sunt Episcopo in eodēdis statutis, ut quā rarissimè apponat excommunicationis pœnas, ne videlicet ex frequentia contendantur. *Abb. in cap. Clericos. num. 3. de cohab. Cler. Couar. in c. alma mater. n. 10. de sent. excom. in 6.* sed potius utatur pœnis temporalibus, rarius tamen pecuniarijs ad euitandam suspicionem auaritiæ quæ abesse longè debet ab Episcopo. *cap. cum, ab omni. de vit. & hon.*

Denique cauere debet ut abstineat à multitudine præceptorum, nec statuat nisi super necessarijs: neque faciat statuta quæ parum profutura, vel quæ contemptui futura verisimiliter conijcitur, aliquando enim tolleranda sunt potius aliqua mala ne euentant grauiora, nam qui nimis emungit, elicit sanguinem. *c. denig. dist. 4.* Imo illud Chrysostomi super Matth. mète esset retinendū. *Circa vitam tuam esto austerus, circa aliorum benignus, audiant te homines parua mandantem, & grandia facientem.* & aliud Bernardi. *Quid iugum vestrum super eos aggravatis quorum onera potius portare deberetis.*

An autem possit aliquid exigere à Clero pro sui sustentatione, quæri posset hoc loco.

Et certum est quod taleis & exactionibus Clerum onerare prohibetur. *cap. quoniam. 18. dist. cap. qui cognominus. c. quoniam relatum. 10. quest. 3. cap. conquerente. de off. ord.* Synodaticum tamē seu Cathedralicum iure suo exigere potest, cuius nomine à qualibet Ecclesia debentur duo solidi, valore ipsorum computato secundum antiquam consuetudinem cuiuslibet Diocesis. *cap. conquerente. in. gl. de off. ord.* Neque villo tempore præscribi potest Synodaticum, cum debeatur in signum subiectionis & in honorem Cathedralis, ut notat *gl. in cap. pastoralis. de donat. Abb. ib. num.*

num. 7. Henriquez de Synod. Episc. p. 2.
num. 90. Imo licet pleno iure libertaretur
Ecclesia, adhuc non censeretur re-
missum Synodaticum. vt notat gl. in
cit. c. cū pastoralis. Innoc. & Abb. cit. ib.
nemo enim potest esse sine subiectione,
alioquin censeretur acephalus. c. nulla
ratione. 93. dist. Regulares tamē non ob-
ligantur ad Synodaticum. c. inter cete-
ra. 10. q. 5. nam habent exemptiones
particulares, vt suo loco dicemus.

12. Charitativum subsidium petere quo-
que potest Episcopus à suo Clero. cap.
cauendum. 10. quest. 3. dummodo subsit
iusta causa. cap. cum Apostolus. §. prohi-
bemus. de cens. vbi addit Innocent. quod
etiamsi causa iusta subsit, tamen requiri
in imponendo hoc subsidio charitativum
consensum Capituli & Cleri; nec suffi-
ceret solius Capituli consensus, sed ne-
cessariò interuenire debet etiam Cleri
consensus, sicut in omnibus alijs in qui-
bus vertitur proprium interesse ipsius.
ad quod Abb. sup. cit. cap. non minus. nu.
4. de imminut. Eccl.

Si autem dubitaretur de veritate cau-
sæ ob quam peteretur charitativum sub-
sidium, pateret recursus Clero ad su-
periores. cap. quia cognouimus. 10. q.
3. Host. in sum. de off. ord. num. 3.

Potest autem peti hoc subsidium etiã
ab exemptis. vt notat gl. in Clem. 1. v. in
exigendo. de excess. prel. Abb. in cap. di-
lectus. num. 4. de off. ord. Et à pensiona-
rijs, nisi expressè in eorū prouisione ex-
imantur. Bellenc. de charit. subsid. quest.
37. Geg. de pens. quest. 38.

A pauperibus tamen exigì non de-
bet: & dicitur pauper qui ex animo re-
ditu non recipit vltra decentem susten-
tationem, vt notat Bellenc. lq. cit. de cha-

rit. subsid. q. 50. Menoch. de arbit. iud. ca-
su. 520. num. 20. vel dependebit à Iudi-
cis arbitrio, quisnam dicendus sit pau-
per. Menoch. lo. cit. cas. 67. num. 7. Couar.
var. res. lib. 2. cap. 6. nu. 8. Rot. diuers. de-
cis. 48. p. 2.

Nec potest præscribi vllò tempore
charitativum subsidium, esset enim præ-
scribere contra charitatem. Bellenc. lo.
cit. q. 45. Taxa vero ipsius est arbitraria. 14.
Card. in Clem. 1. de cens. & in Clem. 1. de
excess. prel. §. nonnulli. num. 4. & arbitriū
stat penes Clerum offerentem, si pe-
tatur plus quam antea solebat dari; in-
uito enim Clero exigì non potest, vltra
id quod dari consuevit, vel vltra taxam
positam in extrauag. vii. §. præmissis. de
cens. comm. videlicet ne excedat valorē
procuracionis debitæ visitatori, vt ibi-
dem à principio determinatur. ad hoc
Bellenc. lo. cit. quest. 62. Afflict. decis. 136.
Boer. decis. 153. Pauin. de charit. subsid.
Duen. in Reg. 90. v. charitativum sub-
sidium.

Expeditis negotijs Synodi legit No-
tarius absentium nomina, qui absentia
suam, siue per literas, siue per Nuncios
non excusarunt, & Episcopus pronūciat
illos contumaces, poenasque decernit
contra ipsos. Et priusquam Synodus di-
mittatur acclamationes fiunt cum gra-
tiarum actione iuxta ritum Pontifica-
lis, & accedunt singuli iterum ad oscu-
lum manus Episcopi, illudque sibi inui-
cem dant in charitate. Interim autem
Archidiaconus verbis in Pontificali
præscriptis, conclusam Syno-
dum dimitti denunciare de-
bet, Episcopo solemniter
omnes benedi-
cente.

Q 3 CAPVT